

Alte Drucke

**M. T. CICE=||RONIS EPISTO-||LAE AD COMPLVRES ||
SCRIPTAE, QVAS VVLGO || FAMILIARES APPEL=||LARVNT, ||
CVM ARGVMENTIS GI-||berti Longolij, editæ || DE ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1566

VD16 ZV 30873

IOACHIMVS CAMERARIVS PABEPERgensis, Valentino Sturcio, Georgij F. S. D.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149860

IOACHIMVS

CAMERARIVS PABEPER-

gensis, Valentino Stur-

cio, Georgij F.

S. D.



VAE SVNT RES,

quibus in rebus uersari stude-
dia totius uitæ nostræ de-
bent: Diuini numinis cultus,

et humanæ societatis cura:

Quarum prior posteritatis
finis, illius enim hæc gratia
constituta fuit, recte perhibe-

beri potest. Nam et ciuitates ortæ, et urbes condi-
tæ, et gentes congregatæ fuerunt, non ad commo-
ditatem tantum uitæ degendæ, neq; ad iucunditatem
consuetudinis mutua, neq; emolumenta commercio-
rum, Sed inter hæc, ut et cognoscerent autorem ac
conditorem suum, omniumque bonorum largitorem
Deum, et hunc religiose uenerarentur, et in cons-
iunctione piæ confessionis, atq; ceremoniarum sancta-
rum obseruatione, celebrarent. Huc igitur dirigenda
est omnis ratio atq; cogitatio mentis humanæ, ante
omnia Deum ut ex animo et uera affectione laudet,
et illi placentem honorem habeat, et uotis atq; pre-
cibus castis inuocet. Ad quod necessaria est sententia-
rum communicatio, ut in omnibus cætib; unanims
et concors religio atq; pietas conseruentur. Hanc o-
portet esse simplicem ac uniusmodi et inuariabilem

Aa 2

in

EPISTOLA.

in seipsa, quamuis ueluti speciem diuersam, aliquando
 prae se ferat, cum Deus ipse & simpliciss. & constan-
 tissima natura sit. Nihil autem moueri bonas & pias
 mentes oportet illis Academicis *τηρητικοί*, qui-
 bus ratio humana quasi *ἐπιθεωρεῖν*, uolitans intra
 caelum & terram, delicias facit, & suam prodit ina-
 nitatem, sicut auiculæ cantu. Huic autem generi caus-
 sas & fontes omnium, nec cui temere assentirentur,
 exquirenti, idem accidit, quod mulierculis oua, quem-
 admodum dicitur, emere uolentibus, ut quærentes
 semper repertis meliora, auferant pessima. Nam his
 dum nulla causa satisfacit, ut Pindaricæ *ἐλπίδες*,
 ita illorum mentes *πολλὰ ἄνω τάδ' αὖ κάτω ψο-
 δῇ μεταμώνι τάρμοισι κολιδοῦται*, neque
 firmi quicquam certiue habent. Hos igitur qui so-
 li sibi sapientes uidentur cum maxime parabili &
 facili disciplina *τῆς ἀντιστηρικτικῆς*, & hac in par-
 te Ciceronem quoque simul nostrum, non modo di-
 mittamus, sed plane refutemus, & illos irridere
 patiamur credulitatem nostram. Nos uero hoc te-
 neamus, quod omnes prudentes homines senserunt,
 quod in natura ipsa relucet, quod sana ratio indicat
 atq; definit, deniq; quod Dei uox mandata literis Sa-
 cris promulgauit, propterea factos atq; creatos homi-
 nes, & ideo consociatos fuisse, ut & cognoscerent
 esse Deum, & cognitum uera pietate colerent, &
 sancta religione uenerarentur, & castis precibus in-
 uocarent, & perpetua gratiarum actione celebra-
 rent. Quoniam uero ea quæ mente & cogitatione
 comprehensa fuerunt aliter quam oratione explica-
 ri

ri nequeunt: Et cum ad consensum ueritatis, pri-
 mum diuinarum, deinde & humanarum rerum, hu-
 manum genus conditum sit, sequitur, ut honestis &
 pijs in conuentibus, orationis disertæ ac illustris &
 planæ usus requiratur. Propterea omnibus temporibus
 & ubiq; gentium cum religionis cultura doctrina
 nam ac eruditionem literarum coniunctam fuisse sci-
 mus, itaq; esse oportet. Contra uero in ignorantia et
 barbaria, religio & ipsa deprauatur atq; corrumpi-
 tur. Neq; ego hoc dico, eruditionem doctrinæ, pietas-
 tem religionis constituere & explicare posse aut so-
 lere, cum doctissimas nationes ab illa longissime aber-
 rare sciam. Sed sic existimo, donum illud Dei, quo nula-
 lum maius meliusq; hominibus ille dedit, in primis et-
 iam seruire laudi & gloriæ huius, & esse tale, ut ad
 uitam religiose & placide, & ut dicitur, beate agen-
 dam, nihil prius neque potius, quodue plus momenti
 afferat, reperiatur. Vt enim acrimonia ingenij &
 multæ literæ & doctrinæ uis, & sapiens animus &
 oratio eloquens, non ipsa quidem ueritatis diuinæ,
 quod est Euangelium Iesu Christi, cognitionem &
 intelligentiam atque ministerium complectitur: Ita
 profecto eos qui in Ecclesia præsumt ignoras litera-
 rum & a studijs alienos, atq; certe linguarum impe-
 ritos esse non oportet. Quod est ipsum singulare do-
 num & beneficium propicij Dei ad omnem cultum
 animi & ueritatis contemplationem, mirabiliter et-
 iam in Apostolos collatum, ut nouimus. Id quod nos
 ignauia & inertia nostra repudiare neutiquam de-
 bebamus. Sit igitur hoc nobis certum, Religionem, id est,
 cultui numinis diuini, cuius causa omnes communita-

EPISTOLA

tes hominum extiterunt, additam & attributam esse eruditionem literarum quæ illi præsto sit tanquam famula, & timide atq; solícite sicuti dominæ ancillatur. Ab hac certe omnis in terris felicitas manat, & publice priuatimq; confirmatur, quod uenustissime Callimachus indicauit, cum de Apollinis capillo salutem & incolumitatem destillari, & eas esse ciuitates beatas ait, in quibus guttæ illæ ceciderint, sic enim inquit in hymno Apol.

οὐ λίπος δ' ἀπὸ λαῶνος δ' ἀπὸ ἀλγούτων ἔθειραι
ἀλλ' αὐτὸν πάντας, ἐν ᾧ δ' ᾧ κεν ἐκείνου
πρὸς τις ἔραζε πύσσων ἀκήγια πάντ' ἐγένοντο.
τέχνη δ' ἀμφιλαφής.

Qui sunt capilli Apollinis? crinitum enim hunc faciunt Poetæ & ἀπεροκόμω. Profecto species hæc est atque pulcritudo eruditionis & optimarum disciplinarum atq; artium & literarum. Inde cadunt illæ præclaræ guttæ & salutare rebus tam publicis quam priuatis, operum sapientiæ atq; doctrinæ, quæ ubicunq; locorum atq; gentium apparent & conspicua sunt, illic absunt pestes & exitia ciuitatum atque familiarum, quæ sunt barbariæ et imperitiæ germina. Quid autem est instrumentum aliud doctrinæ & eruditionis quam facultas & copia orationis non modo elegantis, sed etiam explicatæ, & ut ante dixi, disertæ, illustris, planæ? Nullum profecto inuenitur, usque adeo, ut sine hac quam doctrinæ effectio nem atq; elaborationem esse perhibeamus, ne cogitari quidem aut fingi posse uideatur. Audiui ipse nuper quendam elato supercilio & pressa uoce, ut grauior

uiter dicere existimaretur, in templo cum alia confundentem male interpretando & indistincte pronuntiando, Tum de hac pulcherrima & Christianis iucundissima & salutari sententia, iustus ex fide uideat, perniciosas nugas, ut prisce loquar, blatientem, Quid, inquit homo *ερωδωλογος*, Quid aliud Propheticum sibi dictum uult? Quam ita uiuere iustos, ut suis laudabilibus actionibus, iusticiam se consecutos & iustos perhibendos esse, probent. Hocine uero significat *ἐν πείραις ζήσεται*? Quid ergo illud *δικαιοσύνης ἐν πείραις*? An similiter hoc, operibus secundum fidem iustificati? Talia sunt omnia quæ indocta & *ἀμύητος* illa soboles fallaci loquentiæ, secundum Accium, ut opinor, commenta olim fuit, in erroribus serendis ac pangendis, & nunc in fouendis & defendendis comminiscitur, uidentibus & patientibus principibus quibusdam Reipub. Sed hæc in præsentia omittamus. Facile autem esset colligere plusculam ex disciplinis diuersis, mala interpretatione & sermone improprio ac mendoso, corrupta. Sed & hoc alteri occasione reseruemus. Ego uero in hac persuasionem, & ad doctrinam ueræ pietatis, ac cultum religionis, & ad constantiam consilij & honestatem actionum inter homines, plurimum prodesse, uel esse potius necessariam facultatem bonæ & certæ orationis, in ea opinione semper fui, & ita censui, magna cum cura & studio diligenti enitendum esse, ut in liberali institutione puerorum lingua ac sermo ad normam uetustatis dirigatur, unam quidem illam & consentaneam atq; ueram. Ea; de causâ autor cum mihi tum alijs fui, ut in Ciceronianis scriptis legendis atq;

EPISTOLA

ediscendis & uero imitandis exerceremus studia discipulorum. Cuius sententiæ & rationis, quia incommoda manifesta sunt neglectiois, nondum sane me pœnitet, quamuis non etiam illa plurimis probetur. Sed ego tamē, ut Hippocrates Medicum quamuis successus curationis non appareat, si duret causa institutæ medicationis, hanc mutare uetat, sic perseuerauit atq; mansi in sententia, & si uidebam non plurimis persuaderi, ut hanc uiam ingrederentur, & hac ad eloquentiæ qualemcunque laudem contenderent, uel quia alia circumspiciebant animis, uel quod desperarent sese operæ precium hoc in opere facturos esse, uel quod occasio & opportunitas persequendi illud deesset, uel etiam quod studij laborem, quem plerique fugiunt, ferre nollent. Cum autem omnia aliquando coniunctim opera Ciceronis, tum separatim quædam recognita a me edi curassemus, nō deterioris notæ, ut confido, quam esset ulla alia editio. Hoc tempore hortator sui Typographo nostro, ut expressas in officina sua emitteret & Epistolas illius, quas multis annis familiares appellarunt, Petro Victorio eruditissimo uiro hanc inscriptionem repudiante. Hæ sunt, ut notum est, scriptæ ad diuersos, & in unum quoddam corpus coagmentatæ, quasi membris quibusdam, distinctæ libris XVI, a Tirone. Atq; ab hoc equidem non puto ipso titulum istum familiarium epistolarum præscriptum, sed hoc factum esse ab aliquo temporibus posterioribus, qui animaduertisset harum assiduam lectionem mirum in modum alere atque augere facundiam, & incredibile adiumentum afferre illi extemporalī, ut uocatur, communis atq; familiaris

liaris sermonis facultati. Nam ego me puerum hoc au-
diri memini, de doctissimo uiro, cuius summis in me
meriti animi grati memoria debetur & præstatur
perpetua, Magistro meo Georgio Helto Vorchemio
cum Hermannus Buschij, quo tempore ille Lipsiæ ali-
quando fuit, promptam & expeditam elegantiam
quacumq; de re & quocumq; in negotio uerba facien-
di, admiratus, interrogasset eum, quam maxime ra-
tionem in illa sibi parantia secutus fuisset. Respondisse
tum illum, legendis & relegendis Ciceronis episto-
lis. Hac etiam responsione cum motum arbitror, ut in-
stitueret harum doctrinam ordinariam horæ cotidie
unius, in sua schola, quam haberet admodum frequen-
tem, & me ut iuberet cotidie unam ex illis memoriæ
mandare, quod, quasi pensum exigere a me ad uespe-
ram in dies ferme solebat. Visum autem opt. fuit cura-
re, ut sic in manus peruenirent puerorum, ne multa
plices ac uariæ explicationes, in hunc libellum con-
gererentur, ideoque reliquis detractis, Longolij, ut
ipse appellare uoluit ἀμύματα, adiungere tantum-
modo placuit. Nam alia conquirendi Magistrorum
cura erit, hunc autem libellum ad discipulorum usum
apparare uisum. Quem ad te Valentine peculiariter
cum hac quasi præfatione nostra mittere uolui, ut in-
telligeres et de me opt. meriti patris tui Georgij ui-
ri clarissimi & excellentis medici, et tua etiam causa
quem strenue discere literas nostras rescuiissem, mi-
hi curæ esse studia tua. Et si autem ea uenerunt hoc
tempore mihi in mentem, ut perscribere, quæ tu per
ætatem omnia penitus intelligere non posses: Tamen
quod puericiam tuam etiam ad harum rerum conspe-

EPIST. IOACH. CAMER.

clum adducendum putarem, & ad te scribens simul
etiam tuo Magistro Nontalero, uiro optimo atq; do-
ctissimo scribere mihi uiderer, non uolui cogitatio-
nes illas animi mei cum alijs commutare, quæ undiq;
accommodarentur ad captum & ueluti modulum ar-
norum tuorum. Facies autem, ut studiosissime hunc
libellum legas, id quoq; sine dubio sacis instituto Ma-
gistri tui, cui cum te ac fratres tuos pater uester com-
mendauit, præclare actum esse uobiscum iudico, qui
talem præceptorem nacti sis, cui non modo in hoc
genere nostro scholastico, quos præferam, sed omni-
no conferam uel nullos uel certe perpaucos noui atq;
scio. Volo tamen hoc studium erga te meum & istam
operam communicam cum fratribus tuis, quorum
uitam & incrementa animi atq; corporis CHRISTO
commendo, qui teneras mentes uestras gubernet &
regat bonitate sua, & uestram innocentiam per opti-
marum artium studia deducat ad gloriam nominis sui
& Reipub. honestum usum, ut & uobis illa
commoda, & uestris parentibus, pro-
pinquis, amicis, præceptori, gau-
dia afferant. Vale. Idia-
bus Maij.

Marci